





V A R I A S  
E P I L E P S I A E  
M E D E N D I M E T H O D O S

6

P R A E S I D E

# PETRO IMMANVELE HARTMANN.

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.

PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-

EVRT. SCIENT. VTL. ITEMOVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.

SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE. ORDINIS

MEDICI H. T. DECANO

D. IVNII MDCCCLXXXVII.

# DOCTORIS MEDICI

# ATQVE CHIRVRGICI DIGNITATEM

## LEGITIME CAPESSVRVS,

PVBLICE DISCEPTABIT

## A V C T O R

CAROLVS BENJAMIN ANDREAS RAEVMERT,

IARMENA - POMMERANVS.



*TRAIECTI AD VIADRVM,*

E T Y P O G R A P H E O W I N T E R I A N O.





## PROOEMIVM.

Dum opusculum academicum molior,  
quod viam mihi ad supremos vtriusque  
medicinae, tam clinicae, quam efficacis, ho-  
nores capessendos paret, ecce! inter scri-  
bendum parum cautus non satis tempero  
calamo, et locupletius apparo volumen,  
quam quod consueto in academiis mori con-  
uenit. Subsecui igitur pathologicam huius  
libelli partem: cum, quod de diro hoc,  
quem tractavi, morbo tot iam dissertatio-

A 2 nes

nes et commentationes, in omnibus fere  
academiis disceptatae, extant, ut Iliada  
post Homerum canere facile videri possim;  
tum, quod partis therapeuticae maior in  
lectores redundatur mihi videbatur fru-  
ctus. Quandoquidem licet de hac quoque  
medendi methodo plurimi scriptores am-  
plissime sint commentati, superesse tamen  
videtur plurima adhuc monita clinica,  
quae epilepsiae medentem adiuuare pos-  
sunt. Sequutus sum, haud inferior, in or-  
dinandis epilepsiae causis HEBENSTREITII  
et DANIELIS, utriusque viri de morbo-  
rum historia et aetiologya meritissimi, pree-  
cepta. Medendi igitur methodi rationes ad  
diuersas has caussas, vnde epilepsia nascitur,  
ordinavi: quo in opere si aliquid exspecta-  
tione lectorum dignum in medium protule-  
ro, maxime mihi gratulabor; sin minus,  
saltem honestae voluntati veniam non dene-  
gabunt beneuoli lectores.

§. I.

## §. I.

**D**ifficilis est aetiologya passionis epilepticae, difficultior methodus medendi. Solent enim rationales medici fere omnes in eo conuenire, quod aegritudinis curatio quaecunque versari debeat in ablatione caussarum, quae in passionibus sunt morbi, in morbis autem caussae morbificae, quo uno tantum differre videtur empirica a rationali curatione. Empirici enim non rationem, sed analogon sequuntur rationis, adhibentes id, quod quondam profuit in simili casu: hinc neque ad naturae vires medicatrices, neque ad nexum caussalem morbis, passionibus, et symptomatibus intercedentem, neque ad individuam constitutionem respicientes. Auxiliantur itaque, dum causus fortuitus offert occasionem: nocent saepius, quam opitulantur. Non multum differunt ab empiricis ii, quicunque epilepsiam non tanquam passionem, sed velut morbum simplicem considerant, qui que, varias licet adducant caussas, quas dicunt praedispontentes et remotas, non tamen toto coelo differre credunt methodum, quae prout caussae ad sunt diuersae, diuersa quoque exstat, a methodo generaliori, quae cuicunque praescribitur epilepsiae. Nos igitur ordinem passionum caussalem, secundum Cl. HEBENSTREIT et DANIEL, maxime secuturi, therapiam epilepsiae breuiter exponemus.

A 3

§. II.

## §. II.

Clamat ab antiquissimis inde temporibus omnes fere medici, caussam vt morborum et passionum generatim, ita praesertim passionis epilepticae saepenumero caussam, sive morbus sit, sive caussa quaecunque alia, vel interna, vel externa, tantopere latere, vt nullis argumentis, nullis possimus phaenomenis, ad diagnostin eiusdem penetrare. Nos, experientia conuicti, cum his omnino medicorum querimoniis consentimus. Tametsi enim hic indagatione solertissima et sollicita supersedere fere nunquam possumus: tamen parum luculenter tantum eruere valemus, quid occasionem procreandae epilepsiae praebuerit. Hinc usus quaestionum medicorum et in hoc morbo elucet. Habeamus itaque *primo* rationem aetatis, vt inde prognosin et methodum curatiuam enodare possumus. In iunioribus enim subiectis magis plethora, irritabilitas, catar-rheuma, in senioribus atra bilis, arthritis, calculi, cachexia, sarcomata accusanda. *Secundo* sexus: viri facilius a dyshaemorrhoidi, debilitate per venereum producta, arthritide vaga: feminae a partu difficulti, dysmetrorrhoea, puerperio, hysterasi, patiuntur epilepsiam. *Tertio* temperamenti: phlegmatici, melancholici magis fauent epilepsiae, quam sanguinei, cholericci, quamvis in his obseruetur maior irritabilitas. *Quarto* vitiorum praegressorum, ad vulnera, ictus, diaetam, vestimenta, mores, consuetudinem spectantium. *Quinto* dispositionis haereditariae: verbi caussa, a diaeta perturbata, violencia externa, cum grauida esset mater epileptici; mala

mala contrectatione teneri corporis infantilis per custodes. *Sexto* animi pathematum; applicatorum externorum: quo pertinet exemplum hyoscyami applicati, lauaci frigidi in herpetibus et exanthematicis chronicis. *Septimo* consideretur tempus paroxysmi, modus eiusdem, symptomatum congeries, varietas, singularis ratio. *Octavo* denique spectentur mutationes, quas externa faciunt in ipso insultu, velut quid venti, meteora et lunae phases hic faciant, quid tribuant gesta, ingesta, retenta, excreta; quid excitet, quid alleuet paroxysmum. His rite indagatis medicus rationalis tacite secum et sollicite per pensa conferat, ut inde ad rectam medendi methodum peruenire possit. Habemus GALENUM ET BOERHAAVIVM inter magnos, immo maximos, naturae humanae scrutatores, huius generis exempla referentes, quae nos sequi ratio et generis humani commodum iubet. Quanquam, saepenumero nos tali inquisitione posse ad optimam peruenire passionis epilepticae diagnosin et curam, contendimus, saepius tamen generaliori methodo, quae caussam ipsam formalem adgreditur, contenti esse debemus.

### §. III.

Missis itaque, ut dici solent, arcanis et specificis antiepilepticis, quomodo operentur quaecunque applicata, quaeque epilepsiae ipsius caussam tollunt formalem, paucis licet explicare. Solent autem omnia, quotquot adhibentur in epilepsia, remedia sopire irritabilitatem nimiam, vel augere vis vitalis influxum in sensus internos externosque. Ad haec igitur

tur simplicia principia reduci posse quaelibet stricte  
sic dicta antepileptica, summo iure contendimus:  
hinc vero ad specialiorem horum remediorum dis-  
quisitionem patere viam.

#### §. IV.

Adaugent alterantque autem vim vitalem  
nerueam, eiusque in sensus et animi vires ingenii  
influxum *mutationes commorationis, aetatis, aëris*  
*etc.* Has iam ad definiendam curationis methodum  
applicuit diuus **HIPPOCRATES**, itemque illum se-  
cutus verus **HIPPOCRATIS** discipulus *I. B. de SWIE-  
TEN*, aliquique quam plurimi bonae indolis medici,  
quos citare longum foret. Huc facit alteratio aut sus-  
citatio actiuitatis neruofae per accendentem quartan-  
am, quae interdum soluere solet passionem epilep-  
ticam: huc applicatio draisticorum, fortiter operant-  
ium remediorum: hellebori, squillae, pulueris Al-  
garotti etc. iniectio purgantium emeticorumque in  
vasa sanguifera olim interdum adhibita; huc animi  
pathemata vehementiora, velut ab sanguinis humani  
epotatione per nauseam orta: huc praecipue calces  
metallorum, nonnisi materiae igneae copia agentes,  
velut *Sulfur Cupri* ex Vitriolo cyprino, ferreis par-  
ticulis maritato et cum mercurio in amalgama re-  
ducto, quod commendauit egregius inter Germanos  
medicus *F. X. de WASSERBERG*: huc flores *Zinci*,  
quos calcem veram metalli esse constat, quique ad  
grana pauca in epilepsia exhibita suscitant vim vita-  
lem, restituunt aequilibrium eiusdem cum irritabi-  
litate. Hinc liquet, cur interdum egregium sane istud  
reme-

remedium in cassum fuerit adhibitum in motibus convulsu*is*. Erat enim talibus in casibus sola irritabilitas pathologica absque debilitate neruosa, absque vis vitalis torpore a). Huc succus expressus *Semperiuii*, qui cum spiritus frumenti communis anatica portione mixtus mirum praestitit effectum in epilepsia aa).

### §. V.

Alia autem remedia antiepileptica maxime sedant irritabilitatis praeternaturale exercitium, tum etiam suscitant languentem vim vitalem et nerueam. Quo pertinet:

*Rad. Valerianae sylvestris*, praesertim eius, quae *tenuifolia* est varietas, inter omnia optimum antiepilepticum, *Phu ARETAEO* dictum, praecipue a *FABIO COLVMNA*, meritissimo Botanico Neapolitano, commendatum: qui ipse saepius epilepsia correptus proficuam maxime esse Valerianam obseruauit. Cauendum autem praesertim, ne radix vel parum sit obsoleta; fodiantur vere, priusquam stipites sunt propagati. Adhibeatur in minoribus dosibus a granis decem ad drachmam vnam vel duas, aut admista nucis moschatae parua copia, auertendae cardialgiae caussa. Datur et in decoctis extractisque magis spirituosis, quam aquosis, cum efficacia plus haeret

a) Ceterum in ipsa quoque vera epilepsia hos flores non semper expectatione satis facere, lubenter concedimus, moniti iis, quas super florum Zinci usu medico edidit illustris *HARTMANNVS*, questionibus.

aa) *PEREBOOM Sammlungen auserles. Abb. für pract. Aerzte.* X. 13.

B'

reat in resinosa, quam in gummosa parte: vt magis roboret, cum limatura ferri, cortice peruviano, optime iungitur. *Valerianae celticae* radix multo tene-  
rior, odore fragrante, grauiuscule, gratiore, sa-  
pore aromatico, amaricante, satis grato praedita ad  
infusa adhibetur, licet paullo sit debilior fyluestri.

*Oleum animale DIPPELII* et *Oleum Cayepit*  
(*Melaleuca Leucadendron L.*) summas habent vires  
vt in sedandis omnibus conuulsionibus, ita et in epi-  
lepsia, data ad guttas aliquot b).

*Moschus*, egregium remedium, si modo  
causiae matierales, vt saburra, plethora, catar-  
rheuma, absint, in sedandis irritabilitatis exercitiis:  
exhibitetur in hac passione ad scrupulum dimidium  
vel vnum, vbi saepius optimos praestitit effectus c).  
Tinctura et iulapium de moscho Edinburgensem,  
secundum variorum experientiam, e quibus SELLIVM  
nominare liceat d), non multum effecerunt.  
Puluis *Tunckinensis* s. *alexipharmacus finensis* mire  
efficax videtur, vt in hydrophobia, ita et in hac pas-  
sione. *Camphoram* optimum esse antiepilepticum,  
cum irritabilitatem minuat, ex eo patet, quod do-  
lores a vesicatoriis sedat, si his admisceatur e).  
Ex-  
hibetur autem vel in puluere ad gr. dimid. vnum ad  
decem cum saccharo et moscho, vel soluta in na-  
phthae

b) THVNBERG in den neuen schwedischen Abhandlungen 1782. T. III.  
n. 4. HERZ Briefe 1. B.

c) BALDINGERS Neues Magazin VII. B. S. 654. WALL medic.  
Tract.

d) Neue Beyträge I. S. 177.

e) COLLIN Campborae vires.

phthae Vitrioli anatica portione, vbi *guttulas analapticas Hamburgensium* constituit; vel in emulsionibus cum gummi arabico, amygdalis amaris, quarum egregiam formulam habet cl. LOCHERVS f):

R. Camphor. drachm. dimid.

Sacchar. canar.

Mucil. gumm. arab. aa drachm. vn. His in unicem tritis in mortario vitro add.

Acet. calid. vnc dimid.

Aqu. flor. Sambuc. vnc. sex.

Syr. fl. Rhoead vnc. vn. M.

#### §. VI.

*Castoreum*, culpatum ab his, laudatum ab illis, summo iure a nobis inter eximia refertur antepileptica, ob oleofas volatiles partes: exhibetur optime in pulueribus ad grana pauca cum leni digestiō, praesertim in epilepsia, quam dixit SAVVAGESIVS *pedisymptomaticam*. Cauendum tamen, ne vesperi detur, cum facile mentis turbas, spasmos et agrypniam possit producere, quod etiam de camphora valet. Habemus essentiam castorei, quae cum essentia asiae foetidae et laudano liquido iuncta calidum licet, validum tamen constituit antepilepticum.

*Flores Benzoës*, ex gummi Benzoës methodo Göttlingiana humida, vel, secundum alios, sicca via parati, acidum sui generis constituant, fortius acido aereo et acido aceti, debilius ceteris, vires habent egregias neruinas, soluti praeципue spiritu vini.

B 2

Cin-

f) *Obs. pract.* p. 40.

*Cinnabaris nativa*, mercurii minera, in nullo menstruo soluenda, ventriculo obest pondere, hinc vires habere antiepilepticas, vehementer dubitandum.

*Phosphorus virinae* ob arcte deuinctum phlogisto acidum egregias habet vires sedatiuas, in conserva rosarum, aut oleo amygdalarum dulcium, iuxta Cel. WEICKARDVM g) solutus.

*Succinum* per proprium acidum, fortius acido phosphori, debilius acido tartari, operari videtur. Exhibetur *sal succini*, siue potius *essentia* ad guttas viginti; quo pertinet etiam *Liquor cornu cerui succinatus*, egregios praestans effectus in omnibus passionibus neruosis, ita et in epilepsia. Soluitur ipsum succinum optime in oleis aethereis aut in naphthis acidorum dulcificatorum. Salis volatilis usus oleo anteponendus, quippe quod nimis stimulat et calorem adauget, licet ad grana quinque vel octo tantum adhibeatur.

*Flores salis ammoniaci martiales*, optime ex *salis ammoniaci* vnciis octo et limaturaem martis drachmis sex componendi, eximii usus in sedanda ataxia neruorum et spasmis obseruantur, si a grano dimidio ad grana quinque aut decem exhibentur. Huc pilulae caeruleae Edinburgensium referri possunt. Nonne etiam forte *tinctura resoluens et confortans Stralsundensis*?

### §. VII.

Expositis iam remedii generalioribus antiepilepticis, quae cuicunque passionis nostrae speciei fa-

g) *Verm. medie. Schrift. IV. St.*

fauent, pergam ad morbos ipsos, qui producendae passioni epilepticae pares inueniuntur. Hi sunt:

I. Animis pathema. Quod si haec subfuerit caussa passionis, non multum spei concipi posse existimamus. Interdum tamen animi affectu valido excitato, velut terrore, metu, gaudio sanata fuit; ut ex methodo BOERHAAVIANA in orphanotropheo Haarlemensi constat, alioque luculento eiusdem generis exemplo olim in praelectionibus suis confirmavit celeberrimus quondam IOANNES IVNCKERVS; referente illustri HARTMANNO. Sunt, qui submersionem aegri sub aquis ad mortem aut lipothymiam usque commendant; unde validum terrorem ac metum excitari, nemo est, qui habeat duhitationem.

### §. VIII.

I. Languor virium vitalium. In eiusmodi casu commendant medici vulgo nihil, nisi roborantia; quae quam eximum usum praestare possint, ratio ipsa accurate praconcipere videtur. Tantum autem abest, ut directe semper ad roborationem debilitatis neruofae cooperari possimus, ut potius saepenumero catharsi aut resolutione, immo ipsa cacochyiae emendatione scopum nostrum adsequamur. Si ipsa vero roboratio indicatar, conducunt cortex peruvianus cum syrupo Erysimi in forma electuarii, aut in substantia cum limatura ferri et calomelane secundum GRAINGERVM, sive leniter purgantibus coniunctus; limatura ferri aut tinturae martiales Edinburgensem et Londonensem, extractum martis,

B 3

ba-

*balnea granulari ferri h), balnea frigida i), aquae martiales medicatae Pyrmontanae, Spadanae, quae magnesiam acido aëreo saturatam, ferrum acido aëreo deuinatum, alcali minerale salinum, calcem vitriolicam et magnesiam vitriolicam continent. Ens Veneris BOYLEI, ex colcothare vitrioli cyprini et sale ammoniaco paratum, ad grana pauca exhibatum, egregie roborat; licet, ex SWIETENII testimonio, saepius formicationes et stuporis sensum in toto corpore producat. Iungitur itaque opportune cum eodem usus discordii FRACASTORII ad piperis grani magnitudinem, praesertim vbi nimiae alui deiectiones occasionem praebuerunt nascendae epilepsiae. Folia aurantiorum, neruimum egregium, quamuis videantur specifice agere contra epilepsiam, scopo tamen robore tantum in debilitate et languore adhiberi posse videntur; vnde interdum irritum fuisse eorumdem usum, experientia constat. Exhibitentur autem pulueris in formam redacta ad drachmam quoquis mane, vel manipulus unus cum aquae fontanae libra una coquitur k). Decoculum baccharum Iuniperi cum Absinthio et roob Iuniperi profuit nonnunquam, vt testatur cel. WEIKARDVS l), cum roboret et tollat ataxiam neruorum a debilitate pendentem. Aqua Rutae destillata huc ob robantes carminatiwasque vires pertinere videtur, quam commendauit inter veteres praesertim ALEXANDER TRAL-*

h) LENTIN. N. Magaz. f. Aerzte. III. B.

i) CAEL. AVREL. Chronic. lib. I. c. 4.

k) LOCHER ohf. pract. p. 47.

l) Verm. med. Schrift. II. St.

TRALLIANVS. *Visci* cortex et folia leniter aromaticæ præstantem effectum producere nequeunt, quamlibet quandoque ad drachman in aqua cerasorum propinata iuuerint, secundum BOYLEVM <sup>m)</sup>. Specificum tamen esse antepilepticum prorsus negare non audeo. Debiliora roborantia sunt potissimum acida mineralia, præcipue spiritus vitrioli, quem cum Valeriana præfertim simul exhibitum egregie commendat cl. TISSOTVS. Adde ad haec vinum, acida vegetabilia et diaetam leniter nutrientem.

### §. IX.

III. Irritabilitas pathologica. In hysteris passionibus curandis istius præcipua ratio est habenda. Hinc præcipue antispasmodica et anodyna resolutibus balsamicisque sunt iungenda. Si spasmī magis infestant agram, opium commendatur; quod, nisi specialia indicantia aliud suadeant, in substantia vel in extracto Thebaico optime exhibetur; maxime, si dolores excitant insultus epilepticos. Huc ergo referri possunt enemata ex opio cum oleofisi; huc guttulae antihystericae Hamburgensium; huc pilulae balsamicae STANLII, et pacificae sive MATTHAEI Londinenium, et innumera alia. *Balnea tepida* egregium saepius præstiterunt effectum in hysteris insultibus cum epilepsia coniunctis, quia irritabilitati nimiae oberant. Conducunt quoque Syrupus ex succo Belladonnae inspissato secundum GREDING <sup>n)</sup> et MÜNCHIVM <sup>o)</sup>, a scrupulo uno ad duo; effentia Cro-

<sup>m)</sup> De natur. philos. vtil. P. II. Seçt. V. c. 7.

<sup>n)</sup> LUDWIG Aduers. pract. T. II. P. II. p. 314.

<sup>o)</sup> Ha: nou. Mag 1770. 14. St.

*Croci ad guttas viginti vel triginta aliis iungenda; extractum stramonii a grano dimidio ascendendo ad scrupulum vnum, secundum RAZOVX p); extractum Hyoscyami ad granum vnum vel pauca, iuxta cel. LENTINIVM q); acida mineralia dulcificata, [vel naphthae; sicut cel. CHAMBON de MONTAVX r) propinavit opium cum spiritu cornu cerui in aethere FROBENII, ad stafin auertendam. Tota methodus antiphlogistica et humectans huc pertinet. Epilepsia parturientium fuganda anodyuis, leniter roborantibus et lochialem fluxum expedientibus.*

#### §. X.

**IV. Plethora.** Phlebotomia, a multis in epilepsia culpata, in hoc tantum casu, si pendet nimis passio a plethora, erit adhibenda, praecipue in dysmetrorrhoea. Sic his sub caussis sectio arteriarum atque venarum iugularium et temporalium; sic sanguisugae in dyshaemorrhoides ad anum ponendae, sic scarificatio instituenda. Congestiones versus caput sunt impedienda; laetus victus, Coffeae, Chocolatae potus prohibendus; motus modicus, diaeta aquosa et tenuis commendanda, praecipue abstinentia a coena. Saepenumero tamen phlebotomia iterata plurimos noxios produxit effectus; hinc distinguenda plethora vera a plethora ad uires vulgo vocata.

#### §. XI.

p) *Diff. epistol. de Cicuta, Stramonio, etc.*

q) *Beobacht. der Kranken am Oberharze.*

r) *Traité des malad. des femm.*, p. 280.

## §. XI.

V. *Saburra*, vel ob ipsam praeternaturalem ciborum quantitatem qualitatemque, vel ob ventriculi sensilitatem producta, constituit epilepsiam sympathicam, stomachicam. Fugatur per emeticam, cum ipsa natura quandoque vomitu soluat paroxysmum s), si mobilis est materies; si minus vinum HUXXHAM, Kermes minerale, Ipecacuanha minoribus dosibus scopo resoluente propinanda. Si deorsum turgescit saburra, veteres species de hiera secundum Galenum, nos radicem Rhei cum Valeriana et sale Louis, salem mirabilem CLAVBERI, etc. damus. Si laburra praecipue acidae est indolis, magnesia cum euacuantibus iuncta; si biliosae, crystalli tartari cum acidis optimos praestiterunt effectus. Si cardialgia ante paroxysmum obseruatur, paralyfit aut debilitatem adesse irritabilem ventriculi discimus: hinc elixiria roborantia et pulueres carminatiui egregie saepius prosunt.

## §. XII.

VI. *Vermes*, radice ipsa Valerianae, seminibus Cynae, aquis sulfuratis, hepaticis, calomelane aqua calcis profligantur. Huc vniuersa methodus an-thelmintica spectat.

VII. *Venena pro varia indele varia requirunt antidota*; oleosorum autem, lactis, emollientium, acidorum ingurgitatio fere ubique prodest.

VIII. *Catarrheuma*. Transpiratio suppressa restituenda, illuuiies serosa diluenda, resoluenda, euacuanda: quae tota fuit veteris schlolah Alexandri-  
mae

s) SWIETEN. §. 1080.

nae et c. PISONIS methodus antiepileptica. Transpiratio restituitur, nisi laxitas adsit vasorum aut defectus humorum aquosorum, remotis impedimentis, methodo diluente, orgasmo aducto, relaxatione pororum cutaneorum: hinc usus balneorum tepidorum, haustuum diaphoreticorum, camphoratae emulsionis, frictionum cutis et laneorum pannorum ad cutim applicatorum elucet. Colluies serosa resoluitur diluiturque data tartari emeticis siue antimonalium parua portione, aut propinatis sulfure aurato, kermes minerali, floribus arnicae: qui quam egregios habeant effectus ad drachmas binas cum libra aquae communis infusi, docet obseruatio cel. COLLIN t); porro hydrargyrosi ad saliuationem usque interdum proficia. Euacuantur humores serosi purgantibus hydragogis, ptyalismo, sudore, vrina, vesicatoriis, fonticulis, fetaceis. Modus vesicatoriorum agendi consistit quidem ut plurimum in acuto stimulo, deriuant tamen quoque humores, euacuant serosos et dilutos: vnde egregii eadem usus esse et in epilepsia, quae ab illuui serosa excitatur, constat. Camphora et hoc referenda, cum transpirationem suppressam restituat, adiapneustiam tollat. Ita in epilepsia hydrocephalica vesicatoria, calomelas, leniterque purgantia et emetica commendantur.

### §. XIII.

**IX. Pyogenia.** Vlcera in cerebri ipsa substantia et medulla spinali plerumque insanabilia, caries crani, exulceratio durae meninges per trepanationem tollenda; sic fistulae restituendae per folia betae imposita u).

X

t) Ann. med. IV. IV. Vienn. §. 1778.

u) HOLLER.

**X. Atra bilis.** Amplissimus hic et late dominans morbus mutationem requirit commorationis, et climatis, resoluentia, praeципue totam methodum *Kaempfianam*. Inter illa militant omnia extracta amara: rad. Taraxaci, Graminis, Valeriana, Lappi acuti, Rubiae tinctorum, herb. Anagallidis; Cardui benedicti, Fumariae, Marrubii, Arnicae; porro summitates Dulcamarae, flores Millefolii, Verbasci, furfures secalis et tritici; gummata, Afa foetida; item extractum Myrrhae, Tinctura antimonialis THEDENII. Abstinere autem oportet aegrum ab aquis spirituosis, medicatis martialibus: cum haespaſmos adaugeant, hydropibus et apoplexiis fauēant: hinc Selterana et Biliniana aqua magis commendanda, quae vtraque magnesiam acidō aëreo saturatam cum alcali minerali salino continet; hinc suadenda purgantium continuatio, diaeta leniter nutritiens, sales neutri, serum lactis, tartarus solubilis, chalybeatus, tremor tartari solubilis, enemata frequentia, sapones medicati, (hi tamen ne adhibentur, si acidum primis viis inhaeret), antimoniales balsamici. Sin arthritis vaga aut retrograda produixerit epilepsiam, deriuanda iterum materies per vesicatoria, finapismos, anodynorum cum diaphoreticis mixtionem.

#### § XIV.

Qualis debeat in calculis adhiberi methodus curatiua, docere non hic pertinet: calculos autem in vesicula fellea optime posse spiritu terebinthinae cum naphtha vitrioli solui, sicuti plurium medicorum, ita et nostra constat experientia.

C 2

Si

Si scabies retropulsa produxit epilepsiam, ista reuocanda est vesicatoriis, sulfureis interne datis, immo et insitione etc. Ita etiam scorbutus et lues venerea suam requirunt medelam: compertum enim habemus, spiritum mercurialem QVERGETANI, mercurium cinereum, pilulas antiueneras, solutionem Swietenianam, saepius profusse in epilepsia, cum mala topica, quae syphilidem supponunt, inde sanentur. Sarcomata autem, polypos, scirrhos etc. fere semper conatus nostros eludere, certum est. Tentanda tamen specifica sic dicta, aqua marina, cicuta, belladonna, emetica, resoluentia, absorbentia, cortex peruviana, magnesia, digitalis, ononis etc.

#### §. XV.

Supereft, vt de auxiliis palliativis aliquid proferamus. Solent quidam in ipso insultu adhibere sulfimigia, quae vero merito sunt reiicienda; cum tantum absit, vt aliquid profint, vt potius multum noceant. Extorquere satagunt pollices, quod idem nocet. Multum autem auxilli sperandum, si in epilepsia pedisymptomatica, vbi incipit adscendere aura epileptica ex pede aut brachio, applicetur strictrior ligatura aut vesicatorium in ipso loco, quae soluant vt plurimum insultum ipsum epilepticum. Ne cubet aeger in ipso insultu, cauendum, omniaque remoueantur, quae nocere possunt, aut vnde plagae inferuntur; applicandum suberis aut ligni fructum inter maxillas, ne lingua morsu abscindatur, et quae id genus alia praecipi solent.

OPTIMO CANDIDATO PRAESES.

Haec tua tota meis non sunt dispuncta lituris.

✓

01 A 6631

ULB Halle  
004 931 246

3







Farbkarte #13



VARIAS  
EPILEPSIAE  
MEDENDI METHODOS

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.

PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-

FVRT. SCIENT. VTL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.

SCRVTATOR, ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS

MEDICI H. T. DECANO

D. IVNII MDCCCLXXXVII.

DOCTORIS MEDICI

ATQVE CHIRVRGICI DIGNITATEM

LEGITIME CAPESSVRVS,

PVBLICE DISCEPTABIT

AVCTOR

CAROLVS BENJAMIN ANDREAS RAEVMERT,

IARMENA - POMMERANVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.